


14
1760

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
PROLAPSU UTERI

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE
EX AUCTORITATE ATQUE DECRETO
CELEBERRIMÆ ET EXPERIENTISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
IN ACADEMIA REGIA DUISBURGENSI
PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINÆ
ET CHIRURGIÆ
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, IMMUNITATI-
BUS ET PRIVILEGIIS RITE LEGITIMEQUE
CAPESSENDIS
PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT
JACOBUS ANTONIUS BACHMANN
ISLINGA - HELVETUS.

DIE XXIV. JANUARIJ MDCCLXXXIII.



D U I S B U R G I,
TYPIS VIDUÆ BENTHONIANÆ, ACAD. TYPOGR.

GK

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICAE

PROLAPSU
UTERI

2182
7
10

ANNUNTIUM SUMMO NUMINE

CELESTIUM ET APTISSIMIS
FACULTATIS MEDICAE

GRADU DOCTORIS MEDICINAE
ET CHIRURGICAE

SUMMUM IN FIDE AN OLA HONORARI V. M. MONTAT
SUI ET BENEFICII SUI LEGATIONE

MAJESTATI SUAE DISCRETIONIBUS
JACOBUS AUGUSTUS BACHMANN

PHYSICUS

IN ACADEMIA MEDICA

DISSERTATIO

DE PULSATIONE



DE
PROLAPSU UTERI.

§. I.

Prolapsus uteri s. Hysteroptosis vocatur ea situs uteri mutatio, in qua matrix profundius, quam naturaliter in certa ætate solet, in pelvim imo & extra genitalia prolabitur.

§. II.

Potest vero alio etiam modo uterus locum præternaturam mutare & hoc respectu a prolapsu proprie sic dicto distinguendæ sunt :

1. *Obliquitas uteri* s. ea loci mutatio, ubi uterus eandem quidem altitudinem retinere potest, sed extremitate

tremitate sua superiore aut fundo ad latera vergit, vel antrorsum, vel retrorsum inclinatur, collo ejus in oppositam regione cedente, in quo casu axis uteri directio tantum a naturali statu recedit. Talis situs in graviditate imprimis, ut & in foeminis extra eam occurrit, quæ sæpius peperunt obliquitatemque jam in graviditate passæ sunt.

2. *Retroversio uteri*, quæ est major quasi obliquitatis gradus, quando nempe uteri fundus primis graviditatis mensibus, quibus tantum hæc uteri deviatio fieri potest, volumine auctus ossis sacri promontorio adpressus retrorsum reflectitur & ante intestinum rectum descendere cogitur, collo simul anteriora versus & in altum directo.

3. *Inversio uteri*, a quibusdam authoribus *duplicatus uteri prolapsus*, & *prolapsus uteri inversi* dicta; ubi nempe matricis fundus per orificium uterinum protruditur atque ita matrix invertitur, in quo casu uterus simul prolabi, imo ut plurimum extra genitalia præcidere solet. Hæc quidem a statu naturali deviatio nonnisi sub parturitione & imprimis statim post foetus expulsionem, vel &, quod raro obtinet, post polypi magni extractionem accidere potest.

§. III.

Dantur vero gradus in prolapsu uteri, eoque respectu distinguitur inter *Prolapsum completum* & *incompletum*.

Incompletus vel *imperfectus* dicitur, quando uterus quidem in pelvim descendit, in vagina tamen reconditus manet, unde etiam simpliciter *descensus uteri* vocari solet.

Perfectus vero aut *completus* Prolapsus est, quando uterus tam profunde delabitur, ut ante finem muliebrem saltem pro parte visui occurrat, tunc vaginam simul secum rapit eamque invertit, & si extra genitalia hæret matrix, vagina inversa & nuda inter femora hæret.

§. IV.

Ut vero Prolapsus incompletus cognoscatur, observare oportet, uteri situm in diversa ætate & pro diversa foeminæ conditione etiam esse diversum eumque *natu aliter* mox altius, mox profundius in genitalibus hære. Retinet quidem semper uterus situm inter
vesicam

vesicam urinariam, cui arctius adhæret, & intestinum rectum. sed ratione altitudinis valde differt, & quidem

I. pro *diversa ætate*. In fœtu enim & neonatis uterus super pelvim adhuc angustam elevatus hæret;

In puellis pelvi sensim ampliori a contentis superioribus abdominis deprimitur imprimis vero in pubescentibus, quando a sanguine menstruo nunc gravari incipit uterus, profundius descendit, maxime tempore, quo menstrua ipsa fluunt, ubi nempe ob sanguinis congestionem ponderosior factus gravitate sua tantum deprimitur, ut vix pollice uno vel altero ab orificio vaginæ distet; ex hoc vero situ sensim, fluentibus mensibus, sanguine depletus, reascendit, inque pristinum, quem ante menstrua occupabat, elevatur locum.

In adultis itaque, quæ nunc menstrua non patiuntur, neque jam gravidæ sunt, uterus eam habet elevationem, ut digito mediocris longitudinis sub exploratione vix tangi possit.

In gravidis, diverso termini a conceptione tempore diversam habet sedem. A conceptione ad ter-

tii mensis finem usque sensim a foetu extensus & volumine auctus descendit ad orificium vaginæ usque, ita ut prolapsus sæpe mentiatur præternaturalem incompletum. Ab initio vero quarti mensis sensim iterum ascendit usque ad finem octavi & noni initium, quandoque dimidium nonum, ubi summam attingit altitudinem, ut vix digito sentiri possit; ex eo vero tempore iterum foetus capite inferius uteri segmentum deprimente, orificium uteri pro diversa aperturæ superioris pelvis amplitudine iterum delabitur, digitoque exploranti vix vaginam ingresso occurrit, dum interim fundus similiter simul ad mensis noni usque initium ad epigastricam regionem elevatur, & inde iterum paulatim descendit.

Partu vero absoluto, dum uterus sensim lochiis fluentibus volumine minuitur, leviorque factus, pristinam, quam ante graviditatem occupaverat, sedem recuperat, in foeminis tamen, quæ sæpius peperunt, ob vaginam ex parturitione repetita relaxatam & pondus ejus aliquantulum auctum profundius jacere solet.

Inde in effoetis, quibus menstrua non amplius fluunt,

fluunt, ob relaxationem vaginæ & circumjacentium partium naturalem, etiam naturaliter profundiore, quam in fœcundis, locum occupare observatur.

2. Pro *diversa constitutione* non solum totius corporis sed etiam imprimis vaginæ. In fœminis quæ fibras laxas, debiles, aut teneram corporis compagem habent, quæ fluorem album patiuntur, quæ menstruis immodicis diu fluentibus subjectæ sunt, quæ hæmorrhagia uteri chronica vel stillicidio laborant; in his vagina relaxata uteri descensui minus resistit, patiturque ut profundius in pelvim delabatur.

§. V.

Symptomata, quæ a prolapsu uteri oriri solent, partimque eum produnt, solent esse sequentia:

Gravitas, tensio molesta in muliebribus, hypogastrio ad lumbos usque, imo dolores in his partibus, qui ad coxas & inguina pertingunt, sensus tumoris in genitalibus præternaturalis, qui ambulationem difficilem reddit, etiam sub erecto situ & stantes pondus in pelvi gravans sentiunt fœminæ. Cubantibus hæ molestiæ multum minuuntur, imo plane quandoque

que disparent. Si morbus ingravescit, alvus obstructa, dura a compressione intestini recti fieri solet, imo tenesmus quandoque continuus alvi infestat, & si alvus solvitur, solito majores nifus & labores requirit. Dein in vasis hæmorrhoidalibus a venis compressis sanguinis congestio orta pressionis sensum in regione sacri ossis, imo vasa varicosa externe tumentia, quandoque hæmorrhoides ipsas excitat.

Urinæ etiam excretio læditur, mox enim ex parca ejus in vesica collectione ob corpus vesicæ compressum continuo ad mingendum incitantur, oriturque quasi ejus incontinentia, mox a vesicæ cervice magis adducta urina difficilius & cum dolore fluit, fitque stranguria aut ischuria.

Tandem etiam prolapsus, quando completus est, sterilem reddit foeminam, incompletus vero non semper, interdum tamen conceptionem impedit.

§. VI.

Si uterus plane inter labia vulvæ prolabitur, tumor ad genua usque descendere potest, ita ut cum vagina inversa pars etiam contentorum abdominalium

B

imprimis

imprimis intestinorum prolabatur & in peritonæo elongato quasi in sacco hernioso hæreat, tumor hic inter femora situs gressum non solum impedit, sed & sedentem scēminam lædit; vaginæ nunc descendentes interna superficies ab aëre atmosphærico allidente exsiccatur, a frictione sub ingressu ad femora & ab urina super tumorem defluente inflammatur, excoriatur, fœde quandoque exulceratur, aut induratur, obcalescit.

§. VII.

Diagnos morbi ex symptomatibus jam enarratis maxima parte habetur; præter hæc vero, *imperfectus* prolapsus exploratione dignoscitur, ubi digitus quidem mox retro vaginæ orificium uteri offendit cervicem, ultra naturalem altitudinem delapsam, quæ vero sub recubitu vel supino scēminæ situ plus minus reascendit; ceterum tumor vaginam quasi obturans est inverse pyriformis, apertura transversali in externo perforatus, basi satis libere prominente, ut digitus eam circumire possit.

In *prolapsu perfecto* externe apparet tumor plus minus globosus aut ovalis, externe ruber vel in antiquo prolapsu cuti concolor, ut plurimum rugosus im-

primis

primis antrorsum, in cujus inferiore fine apparet rima parva, quæ stylum ad pollices duos usque recipit, & ex qua sub periodo mēstrua sanguis stillat. Tumor hic saltim in initio morbi in pelvim reduci potest, si fœmina in commodum situm, qui taxi aut herniæ veræ repositioni convenit, ponitur. Digitus etiam explorans ad latera tumoris in muliebria ascendere nequit, moxque apparet tumorem hunc cum labiis vulvæ esse connexum & in ea continuari.

§. VIII.

Cavendum vero est, ne prolapsus completus cum *Elythroptosi* vel *vaginæ prolapsu* confundatur. Hæc nempe se manifestat protuberantia annulari, irregulariter plicata, ex inversa vagina delapsa formata, quæ sub corporis situ erecto augetur, sub recubitu decrescit, in quo collum & orificium uteri digito explorante facile percipiuntur.

Potest etiam anterior tantum vel posterior vaginæ paries prolabi, in quo casu vesicæ urinariæ vel intestini cujusdam hernia tumore contineri solet, ubi explorans

plorans digitus itidem facile superius situm uteri col-
lum offendit.

§. IX.

Quod *causas* attinet, quæ uteri prolapsum creare
possunt, observandum est, Veteres eas in relaxatione
ligamentorum uteri imprimis latorum posuisse, opi-
nabantur nempe uterum per ea ligamenta in situ suo
retineri; vix vero hanc functionem ipsis attribuere
licet, cum potius uterus per resistantiam circumja-
centium partium, imprimis vaginæ, cujus posteriori
parieti incumbit, in situ suo conservetur.

§. X.

Causæ vero ad duas referri possunt classes:

I. Quæ vaginam extendunt, aut relaxant, vel fal-
tem ejus extensionem non rite impediunt, potius fa-
cilitant, huc pertinent:

a. Conformatio naturalis, vagina nempe nimis
ampla, pelvis justo amplior, in quo casu resistantia
partium circa uterum jacentium minuitur.

b. Partus difficilis, protractus, laboriosus, artifi-
cialis;

cialis, infans nimis magnus, male situs, imprimis elunibus præviis editus, monstrosus; caput diu, partu protracto, in vagina hærens; partus, qui applicationem manuum, instrumentorum requirit, præcipue si rudis vaginæ tractatio accedit, unde vagina ultra modum extenditur.

c. Polypus, vel alius quicumque tumor diu vaginam obturans atque hinc extendens.

d. Fluor albus benignus aut malignus diu infestans, hæmorrhagia uteri chronica vel profluvium quodcumque materiæ serosæ, imprimis acris, ichorosæ, cancrusæ, ex vagina diuturnum.

e. Abusus vaporum, & balnearum calidorum, aliorumque emollientium, qui forte ad menstrua provocanda adhibentur.

f. Coitus immodicus & repetitus.

II. Quæ uterum in vaginam deprimunt, quo referendæ sunt :

1. Ipsum uteri pondus, hinc gravidus & menstruo sanguine vel latice seroso turgidus uterus descendere solet, ita etiam uterus scirrhosus, cancrusus vel

alio

alio modo præternaturaliter tumens & hinc ponderosior factus, uterus, qui polypum continet, prolabitur.

2. Causæ ipsæ deprimentes. Huc pertinent :

a. Aerumosa ventris depositio, si alvus dura, tarda, obstructa est; tenesmus.

b. Immodica ambulatio, vel orthostadia, vel labor corpore inclinato, qualem lavatrices peragere solent, saltatio præcipue pedibus divaricatis.

c. Præmatura post partum orthostadia & ingressus.

d. Tussio vehemens, diuturna, sub qua diaphragma contenta abdominis deprimit.

e. Sternutatio frequens, quæ, uti herniam, ita & uteri descensum creare potest.

f. Vomitus vehemens ex emetico sumto vel quacunque alia causa, qua muscoli abdominales contracti cavum abdominis angustant, & uti intestina per annulos abdominales, ita & uterum deprimere possunt.

g. Colicæ frequentes, tormina in diarrhœa vel dysenteria, præcipue si sceminæ simul obambulant.

It. Clamor

h. Clamor vehemens, vociferatio, cantus protractus, imprimis sub orthostadia.

i. Compressio abdominis violenta ex ictu vel casu, quæ valde frequens causa est.

k. Ponderis gravioris gestatio vel elevatio communis herniarum ita & uteri descensus, qui species herniæ est, causa.

l. Motus corporis immodici quicunque, maxime nisus vehementior.

In Clavis vellems, vellems, vellems pro-
 curas, impetris sub crederetis.
 I Comptello admanis violans ex ista rei cura
 que velle frequer cura est.
 In Roberto quavis de hanc rei elevatio commu-
 nis hanc non in de non de hanc, qui hanc hanc
 in est, cura.
 In hanc quavis hanc hanc hanc, maxime
 in vellems.

.
 /
 /
 /
 /

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
 Centimetres

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B			W	G	K					C	Y	M			

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007